ret vnico Regis ſui Fratre dignam ſe æſtimari. Quod nunc Cæſari tam cara ſit, vt & vnicum ſuum ipſe concedat, quomodo vel inter miſerias ſuas non beatam ſe putet? hoc magis, quòd reparandis Imperij rebus admotus, & fraternis exercitibus præfectus Belgis dari non potueris, quin Germanis eripereris. At, ſi regionem, non virtutis campum mutaſti. In Belgio Germaniam reperturus es, hoc eſt, Prouinciam prudentiæ, magnanimitati, vigilantiæ Tuæ parem. Duris exercitus ad nihilò molliora veniſti. Sed ad hæc & natura Te aptauit, & virtus inſtruxit. Suæ ſint alijs deliciæ. Tibi pro quiete labor eſt, pro aulæ commodis puluis & campus, pro oblectamento equus & arma. Quid quod, quantum Tibi, quantum iis, per quos Te habemus, debeamus, minùs conſtaret, ſi ad feliciores veniſſes? Non peritiam modò medici, ſed & beneficium morbi commendant. Tibi quoque optabilius Belgas beatos facere, quàm reperire. Vti ſoſpitatem nobis dulciorem antecedens calamitas, ita illuſtriores triumphos Tuos præteritæ clades facient. Quis eum citò diem det, quo, quos deſiderio Tui veniens compleuiſti, pleno lætitiæ fructu victor exſaties! quo, conuerſis aliò belli calamitatibus, priſtinus Prouinciarum decor, vbi pace non licet, ibi victorijs refloreſcat! cœpit à Serenitate Tua ea Belgis lux affulgere: neque ſuas tantùm in Te collocant, ſed & Hiſpaniæ Germaniæq; ſpes Tibi credunt commiſſas. Experire viciſsim Tu quales gubernandos ſuſceperis,